

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XCV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

XCV.

Salutem in Domino & Servatore Ihesu.

PAUCA de Illyrico respondebo, de disciplina Ecclesiastica ratione prolixius agam. Posteaquam ille variis calumniis apud nostros homines frustra contra nos egit, credo propter manifestam dogmatis absurditatem, quod non, ut antehac, palliat atque tegit, publicè expediendas artes suas ad universos suscepit. Itaque Francofurtum formulam misit triplicis consensus, quem cum hoc ministerio inierit, & in quo perseveraturum se protestatur. Est initio Zerbestana norma, cui verum est illum subscripsisse, vix multis precibus adactum ab Hero, ut faceret: deinde ex ea Norma, confecta quaedam doctrinæ de Peccato Originali expositio, quam quo jure pro se interpretaretur, tunc intelliges, cum postrema Pastorum epistola ad vos mitteretur. His accedit, quod D. Jacobus, Cancellarius, ei in colloquio concessit de synonymia quorundam Scripturæ vocabulorum, quibus designetur id, quod Ecclesia Peccatum nominat originis. Hunc ergo triplicem consensum edi Francofurti postulavit, ut nimirum desertæ veritatis aut suæ potius opinionis reos Dn. Pastores posset peragere. Sed Petrus Patiens, qui Landavio, Francofurtum anno superioræ migravit, & sciret, phrasin Illyrici nostris non probari, author fuit remittendi scripti non ad Illyricum, sed ad herum. Habes de Illyrico, qui ut piscatores anguillarum capiundarum causa stagna turbant: ita illi gloriolæ aucupandæ gratia paci nostræ Ecclesiæ obstrepit.

In disciplina Ecclesiæ video tibi caput illud de Absolutione privata placere. Ac tamen Magistratus adhuc responsum nullum accepimus, tamen ipsum Plebis studium & magnarum etiam familiarum in hoc genere, pro approbatione Magistratus hætenus nobis est. Sed sunt tamen, ut in omni re atque instituto laudabili, sui Momi: sed Momi non Momi. Non enim credo vellent corda, sua maximè, patère, alias quomodo grave ipsis esset, consolationem verbi DE I audire? De *ἰστορησὶν καὶ* *ἰδύς* & correptione publica, video me nostram sententiam vobis non dilucidè explicasse. Nam utrunque hoc caput, ut & superius, ad eos tantum pertinet, qui doctrinam hujus Ecclesiæ pro vera habent, eamque profitentur, & Pastorum ac Diaconorum in singulis præciis opera & antehac usi sunt, & deinceps utentur. Idcirco disertis verbis Papistæ, Zwingliani, Schwenckfeldiani, Anabaptistæ, ut ipsi se à nostræ Ecclesiæ communionem solent se jungere, ita à Pastorum cura & inspectione removentur. Si qui ex cætero grege erunt, quibus necessarium hoc officii genus Pastor judicabit, non tamen prius eos conveniet, quam vel biduo antecis denunciavit, & hoc ipsos approbare intellexerit. Ita horum periculum, quæ tu & frater, M. Philippus, commemoratis, aut nullum impendet.

AUE

aut si quod est, levius est, quam ut ejus metus ab optimo instituto, si id obtineri queat, Ministros Ecclesiæ possit dejicere. Quod de ~~κατασκευαστικῆς~~ criminatione metuis, prudenter tu quidem, sed ea Heri scripto ita retusa est, ut neminem bonum habere sciam, quod opponat. Neque infcio Magistratu recepta est, toto prope anno de restituenda disciplina & emendandis civium moribus conciones habitæ sunt: & Senatus sæpe etiam in Curia officii sui est per occasiones admonitus. Quæ cum omnia f. ultra fierent, certè fuit Pastorum tanto diligentius suo muneri invigilare, quanto negligentius alii res suas tractabant. Paulum vide in Ephesina & Thessalonicensi Ecclesia, & intelliges, quam hoc propriè ad Ministros spectet, privatim singulorum, qui se pro discipulis gerunt, fidem confirmare, imbecillitatem juvare, vitiositatem emendare, denique ab induratis & incredulis separare Discipulos, Act. 19. Quem locum nudius tertius explicantem Cl. virum, patrem tuum, vellem audivisses. Quod de visitatione scribo, idem de Correctione coràm Presbyterio intelliges; quæ tamen ad vitam præcipuè pertinet, Christiana professione indignam: ubi una & altera Pastoris atque Diaconorum ad monitio frustra fuit adhibita. Cujus rei non infrequens etiam superiore tempore usus fuit in singulis Presbyteriis. Hoc etiam tempore sunt inventi pii homines, qui Pastores cessantes domum ad se advocarint, ut ea, quæ ad visitationem pertinent, peragerent. Quæ tamen omnia ita scribo, ut non negem, maximam esse in hoc proposito difficultatem, maximè aliquorum fratrum consideratis moribus. Et ut lenissimè dicam, in obeundis cæteris officii partibus, tarditate. Atque ut de meipso dicam, ad quem hæc minimè omnium pertinent, ego, si Diaconus essem, magnum meis humeris onus, neque par mea vel doctrina, vel in agendo dexteritate, impositum intelligerem. Sed rursus, cum de necessitate cogito, & permissiones divinas intueor, spero fieri posse, quod nos difficile judicamus. Postremum est, arbitrator, de tempore. Existimas enim ejus opportunitatem meliorem captandam fuisse, de quo sic habe. Cœptum fuisse hoc negotium, ante sparsam Sturmii epistolam, cum nemo dissensionem illam metueret, h. e. paulò post vestrum abitum, imò vobis adhuc præsentibus, & multis jam annis hæc in consultatione fuerunt Collegii Ministrorum. Neque de Hlyrici *βλατισμῶ* quicquam dum constabat, quod te non ignorare certo scio, & Consul iste nondum erat designatus. Quod ergo plura concurrunt, quam singulis utile est, cuicumque magis causæ, quam voluntati nostræ ascribendum judico. Sanè est, quod vigilemus & oremus. Hæc de disciplina, quæ utinam ita constituatur, ut utilis sit Ecclesiæ: ita intelligatur, ut quid propositum sit Pastoribus, universi intelligant. De rebus cæteris nihil erat, quod ad M. Philippum non perscripsissem. Disputationes vestras avidè expecto; sed ille mihi dies jucundior esset, quo in nostro Gymnasio, in nostra Academia,

mia, Stoâ atque Lyceô, non Pſitacos, sed Doctores audirem Theologos; qui cum Theophrasteo illo Vultanulo comparati, meo iudicio, quod verum esse scio, erunt

Hoc, quod lentæ solent inter viburna cupressi.

Ille autem, licet purpureum latè, qui splendeat, unum & alterum suis epistolis pannum assuit: tamen horridior rusco est, projecta vilior alga. Epistolam ejus, obliuus credo, non miseris. Feceris mihi rem pergratam, si accepero; ut qui Ciceroniani sint, intelligam, cum alii, qui auditoribus industriam suam probant, barbari vocentur. Sed *ἀλλε* jam *δρῦς*, aut nimium etiam. Resalutat te D. Planerus & amici cæteri. Vale Argentorato, die Annunciationis Mariæ, anno 1572. Festinationi ignosce, ut semper.

Tuus

Johannes Pappus.



XCVI.

S Quod hætenus curatio, à Chirurgo erga te usurpata, non infeliciter cesserit, laudo Dominum cum meis symmisticis ex animo, qui tibi longævitatem & incolumitatem vehementer optamus. Faxit ergo idem, ut hæc resina ex Gilead proficiat ad confirmatam salubritatem, benedictione ipsius, quò Ecclesia tuis laboribus & *ἰεροσολῶν* diutissime frui possit, si unquam aliàs, hoc maxime tempore necessaria. Quod Illyricus sui similis esse pergit, non miramur magnopere. Nam qui semel in profundum venit præsumptionis, contemnit omnia, nec attendit, quàm graviter à Sathana tenteretur. Vir alioquin insignis, Deique Cælo flagrans, quò egregia dona, quibus poller, non infrugifera modo, sed & noxia etiam evadant ob scandala saltem, quæ ipsius pervicacia studiisque minus sinceris excitantur. Monemur certè hoc documento, quam debeamus omnes juxta Apostoli monitionem nobis ipsis attendere, vigilare & orare, ne intremus in tentationem. Neque videmus, nunc vobis aliud consilium restare, quàm auctoritatem cum vestram pertinaciter spernat, collationes fraternas recuset, ipsius potius commercio abstinere, quàm ut invito illud ipsum obtrudatis. Paulinum sequentes consilium. Quod si molestus vestro ministerio Ecclesiæ esse pergat, quid facto sit opus, suggeret magni consilii angelus, quia verè magus & magna virtus ejus & sapientiæ ejus non est numerus. Nec dubito, quin miser ille graviosem sibi confusionem sit accessurus, nisi ad sobrietatem redeat. Scriptum vestrum & collegæ mei probant, ut quod testaram faciam perpetuam fidem & vigilantiam pro obtinenda legitima aliqua disciplina in Ecclesia DEI, ne pietas &

Ggg

reli-